

**De myrmeciasi : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor  
Sigismundus Bernhard ; opponentibus A. Engelbrecht, F. Lubowski, A.  
Knobloch.**

**Contributors**

Bernhard, Sigismund, 1819-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typis fratrum Schlesinger, [1843]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hwmnh6qe>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**MYRMECIASI.**

---

**DISSESSATI<sup>O</sup>**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

**FRIDERICA GUILELMA**

UT SUMMI

**N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI. M. MARTII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**SIGISMUNDUS BERNHARD**

SILESIUS.

---

OPPONENTIBUS:

A. ENGELBRECHT, med. et chir. Dd.

F. LUBOWSKI, med. et chir. Cand.

A. KNOBLOCH, med. et chir. Cand.

BEROLINI,  
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.



ГЛАВА ПЕРВАЯ

СЕБЯ СПРОСИ

ЧТО БЫ СДЕЛАТЬ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО

ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

АНАЛИТИЧЕСКОМ

ДЛЯ ПРЕДСКАЗАНИЯ

БУДУЩЕГО

СЛОВОМ АНАЛИТИКАМ ВЫВОДИТСЯ

ЧТО НАЧАЛЬСТВО

ДЛЯ ПРОДАЖИ АНГЛАМ ВЪЗДѢХИ

СЛОВОМ

ПРИЧЕМУ ДЕСЯТЬ

ЧИСЛА

СЕБЯ СПРОСИТЕ СЕБЯ СПРОСИТЕ

ЧТО БЫ СДЕЛАТЬ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО

ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

ПРИЧЕМУ ТОЧНОГО ВИДОВ МНОГОМ ИЗОЛ

**PATRUO**  
**C A R I S S I M O**

**Adolpho Bernhard,**  
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD  
VARSOVIENSES PRACTICO,

ПАТИО

СВЯТАЯ

БЫЛЫЕ ЕДОБЫ

**NEC NON**

СИЯ ОБЕМЫ ДРОГИ СЛОУЧИ ТУЗЛЮДІМ  
ОДНОДІЛІ МІЛІЧІВІМ

AVUNCULO  
DILECTISSIMO  
Julio Bender

H A S C E

**STUDIORUM PRIMITIAS**

PIO GRATIQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## DEFINITIO MORBI.

**M**yrmeciasis est morbus spasmodicus, qui excitatur frumenti corrupti usu, et hisce excellit symptomatibus:

- 1) Sensu quodam peculiari, quasi animalcula per totum corpus reperent;
- 2) Spasmis artuum clonicis;
- 3) Aceribus doloribus periodicis in omnibus corporis partibus.

Qui morbus pluribus quidem sub nominibus a variis auctoribus descriptus est: ita vocatur convulsio cerealis, Necrosis cerealis, Necrosis ustilaginea, Raphania, Morbus Sancti Antonii, Ergotisme lingua Franco-Gallica: attamen nomen Myrmeciasis, quod Swediaur proposuit, quum insignissimo hujus morbi symptomati respondeat, aptissimum videtur.

## HISTORIA MORBI.

Jam in scriptis sacris et apud nonnullos Graecorum

et Romanorum scriptores loci sunt, e quibus concludi potest, illis jam temporibus noxam oriundam e frumento corrupto notam fuisse. Robigalia et Fornacalia, quae Numa instituit, erant dies festi, quibus Robigini et Fornaci sacra fiebant, ut frumentum tutarentur. Plinius (1) frumenti morbum perniciosissimum et creberrimum putavit. Etiam Galenus (2) hujus morbi mentionem facit, quuni pistoribus suadeat, ut, priusquam panem conficiant, frumentum exactissime a seminibus alienis cribro purgent.

Recentiorum (3) autem hujus morbi descriptorum primus Casparus Schwenkfeld, medicus Silesius, habetur, qui hunc morbum annis 1587 et 1592, quibus Sudetorum montium incolae ab eo corripiebantur, observavit. A. 1596 morbus in Hassia saeviit, annis 1648, 1649 et 1675 in Variscia, 1672 et 1675 in Guestphalia, 1702 in Hannovera, 1716 in Helvetia, Holsatia, Saxonia et Silesia. A. 1722 et 1723 iterum in Silesia apparuit; 1736 et 1737 ibidem et in Bohemia (quam Epidemiam Burkhard Silesius et Scrine Bohemus observarunt et descripse-

(1) Hist. nat. LXVIII. Cap. 17.

(2) De alim. Lib. I. Cap. 37.

(3) Hecker, Gesch. der neuern Heilkunde p. 317 etc. — Lorinser, Versuche über das Mutterkorn p. 21.

runt.) Anno 1746 morbus iste in regionibus Sueciae australibus exstitit (Dragsjunka, Krampsjunka vocatus); neque minus annis 1754 et 55 tantummodo in australibus Sueciae regionibus (quam epidemiam Linné observavit); anno 1763 usque ad 1769 iterum in Suecia. Maxima autem hujus morbi epidemia fuit anno 1770, quae quidem a multis medicis descripta est, velut a Wichenmann, Taube, Lentini, R. A. Vogel, Baldinger, Leidenfrost, aliis,

### SYMPTOMATOLOGIA.

Omnis fere hujus morbi auctores acutam et chronicam formam sumserunt,

#### a) Forma acuta (1).

Plurimum sine ulla prodromis oritur; attamen nonnunquam hi comparent prodromi: obnebulatio capitis, vertigo et stupor, nausea, ructus, vomituritiones, ipse vomitus, quo massae nigrae evomuntur, et saepissime insultus cardialgici.

Morbus (2) ipse incipit gravi cum algore, quem se-

(1) Dreyssig, Pathol. der chron. Krankh. p. 3.

(2) Haase, chron. Krkh. Bd. II. p. 176.

Bruck, diss. de myrmecias. Berol. 1824.

quitur calor mordax, sitis permagna, et aegroti de magno partium internarum calore queruntur. Febris magna, pulsus frequens, parvus, intermittens: respiratio anxia, saepissime permagna cordis palpitatio. Tunc convulsiones oriuntur non aliter atque in epilepsia; nonnunquam autem isti spasmi fiunt tonici, quin etiam in tetanum transeunt. Extremitates praecipue illis spasmis sunt affectae; omnes articuli contrahuntur: cubitus pectori apprimitur et manus curvantur: calces sursum versae sunt, et pedum digiti ad plantam flexi. Pupilla est contracta; et oculorum musculi tantopere spasmis correpti, ut totus bulbus ex uno latere ad alterum celeriter volvatur: nonnunquam bulbus omnino non movetur, qua re aspectus terribilior etiam fit. — Et musculi maxillae inferioris spasmis patiuntur, quare saepe dentium stridor, nonnunquam et trismus, itaque lingua facillime laeditur.

Et sanguinis circuitus simul patitur, indeque magna cordis palpitatio: pulsus valde contractus, vix tangendus, saepe intermittens.

Et quae chymificationi inserviunt organa, spasmis sunt affecta; unde fit, ut alvi evacuationes plane cessent, et vomitus oriatur, quo saepe massae sanguine tinctae ejiciuntur.

Urinae et cutis secretiones plane sunt sublatae, aut inter insultum sudor frigidus tenax.

Semper semperque aegroti potum petunt, quo vomitus augetur. Facies aegrotantium livida, labia haud raro muco, nonnunquam sanguineo obiecta. Vires quam celerrime consumuntur: animus valde afflictus, facies lurida, Hippocratica, susurrus aurium, auditus gravis, vertigo, stupor, fatuitas. Partes primis diebus convulsionibus affectae fiunt paralytiae: itaque vita septimo aut octavo die finitur.

Nonnulli medici volunt, extremitates tumescere, earum partes externas, imprimis digitos, nigrescere; gangraenam tunc oriri, quae magis magisque diffundatur, etiam ossa corripiat, ac postremo aegrotos trucidet.

Cujus exitus in gangraenam Taube, Scrinè et alii nullibi mentionem faciunt. Wichmann (1) ait, se timuisse quidem, ne gangraena intraret, sed neque sibi, neque reliquis medicis, qui istam epidemiam observassent, symptomata illud terribile occurrisse.

Neque Hecker hunc exitum sumit, dicens, qua causa in Germania tantum myrmeciasis effecta sit, eadem

(1) Beiträge zur Geschichte der Kriegskrankh. p. 23.

in Franco - Gallia tantummodo gangraenam artuum provocatam esse.

Taube, Wichmann, Scrinus de specie febrili nullibi loquuntur: loquuntur tantummodo de specie, cuius decursus celerrimus sit et cui plurimi aegroti succumbant. Alii autem, uti Herrmann, Tissot, Haase, speciem arbitrantur acutam esse febrem pituitosam, quae in putredinem trauseat, itaque interimat aegrotos.

### b) Species chronica.

Ab acuta differt decursu multo tardiore et afebrili. Hic semper adsunt prodromi certi, qui quidem in non-nullis aegrotis tribus quattuorve hecdomadibus ante primum insultum apparuerunt, in aliis vero paucis tantummodo diebus antea. Prodromi hi erunt: lassitudo aut extremitatum superiorum aut inferiorum; horripilationes per totum corpus vagantes, plurimum autem in tergo et artubus. Cephalaea magna, dolores trahentes et sensus ille formicationis in artubus. — Insultum ipsum pronuntiant spasmi muscularum voluntariorum. Artus spasmis clonicis contrahuntur, id quod tantum doloris aegrotis efficit, ut exclament. Neque minor dolor excitatur sensu illo formicationis vehementer adacto, ita ut aegroti dormire nullo modo queant, summo angore corripiantur, quin

etiam lipothymici fiant. — In summis autem convulsionibus pulsus nullam mutationem praebet, neque frigus, quod aegroti persenserunt, calor sequitur. Oculi distorti, pupilla dilatata: vox debilissima, vix audienda, neque aegri bene loqui queunt, sed haesitant. Respiratio difficilis; in nonnullis aegrotis epistaxis, alii sputum sanguineum ejiciunt. Alitus vero plurimum aperta; appetitus bonus, vel, id quod praecipue in juvenibus cognitum est, bulimus intrat. Simul oppressio in scrobiculo cordis, pyrosis, ructus, vomitus. Plurimum aegroti levamen capiunt e vomitu, quo aut multum muci tenacis, aut ascarides lumbricoides et vermiculares expelluntur. Omnia haec digestionis laesae symptomata comitatur sitis insatiabilis. Urina limpida et parca. — Si paroxysmus diutius perdurat, mox spasmi clonici in tonicos convertuntur, et aut in trismum aut in tetanum transeunt.

Cujusmodi insultus duas ad quattuor horas perdurant, et fere sudore profuso finiuntur: nonnunquam autem bis terve de die redeunt.

Neque vero remissionis tempore aegri omnino liberi sunt: magna exstat lassitudo, stupor ac paralysis incipiens digitorum et manuum et pedum; et hic in artubus contracturae spasmodicae adsunt, ita ut aegroti exempli gratia non planta pedis, sed hujus digitis progredi

queant. Frequentibus spasmis tantus torpor inest in digitis manuum et pedum, ut incisionibus nullus aegrotis paretur dolor, neque sanguis e vulnere effluat.

Species morbi chronica multo fuit frequentior quam acuta.

Wichmann (1) non distinguit formas myrmeciasis duas, sed unam tantum, in hac autem tres gradus sequentes:

### Gradus primus.

In quibusdam regionibus gastricis symptomata magis patebant: oppressio in scrobiculo cordis, molestiae cardialgicae, quibus appetitus non depravabatur; in multis diarrhoea septem quatuordecimve dies perdurans, quidem neque tanti dolores orti sunt neque tanta lassitudo, quae aegros impediisset, quominus labores consuetos subirent; perpauci solummodo de lassitudine et doloribus pedum querebantur. — In aliis autem regionibus ne hae quidem molestiae aderant. Omnes vero de eo querebantur, quod in digitorum apicibus sensum haberent, tamquam animalcula sub cute reperent. Qui formicationis sensus in nonnullis per aliquot hebdomades

---

(1) I. c. p. 291.

duravit, sed tantum in digitis sedem habuit, quibus, licet tangendi facultas in iis minuta esset, tamen omnia prehendi et teneri potuerunt.

In aliis hic sensus formicationis usque ad antibrachium pertinebat; in aliis per totum corpus vagabatur; sin linguam aggrediebatur, magnos excitabat dolores.

### **Gradus secundus.**

Hic utriusque manus digitii tantis spasmis ad volam manus flectebantur, ut magna wodo vi aperiri possent. Tantum autem absuit, ut dolor aegrotis pararetur, si manum aperire conarentur, ut levamen potius ex eo caperent, idque rogarent. Mox autem digitii iterum flectebantur. Qui spasmi in nonnullis per hebdomades exstabant, neque aliae accedebant molestiae, nisi quod etiam in pedibus spasmi illi exsistebant.

### **Gradus tertius.**

Ubi autem isti spasmi diutius perduraverunt, tunc tota manus curvabatur, ita ut ossa metacarpi protruderentur, etiamque antibrachium spasmis corriperetur. Et tunc dolores minuebantur, si pars curvata ad rectum revocabatur. In tota facie, in manibus, in pedibus motus tremebundi et conspici et digitis sentiri po-

terant. Postremo in omnes convulsionum species, excepta catalepsia, transierunt spasmi.

In multis stranguria obvia fuit. Cetera symptoma eadem, quae antea jam prolata sunt.

Hecker(1) quoque tres morbi gradus distinguit, mitissimum scilicet, gravissimum et medium.

### Complicatio morbi.

Morbi complicationes cum variola, cum cholerae quadam forma, cum inflammationibus Wichmann et alii observarunt; sed morbi decursum nullo modo iis mutatum esse dicunt.

### DIAGNOSIS.

A chorea eo distinguitur myrmeciasis, quod haec plurimum morbus epidemicus est, statimque post messem oritur, dum chorea omni anni tempore appareat, semperque morbus sporadicus est. Neque obvius est in chorea artuum ille pruritus: tantum in junioribus, ac plurimum in puellis, et tempore quidem evolutionis, appareat; in chorea exaltatio adest: organa visus et auditus magis aucta sunt. In myrmeciasi autem stupor

---

(1) l. c. p. 291.

exstat, pruritus, signum illud pathognomonicum; myrmeciasis saepissime aetate jam provectiores aggreditur: ita apud Scrinc(1) legimus, plurimos ipsius aegrotos plus jam quam annos quindecim natos fuisse. Chorea nunquam est febrilis, neque tam letifera quam myrmeciasis.

Utrum myrmeciasis et ergotismus idem sit morbus, necne, de eo non omnes scriptores convenerunt; quorum nonnulli, veluti Zimmermann, Tissot, Taube, eundem esse morbum dixerunt. Sed Hecker hoc negat. Causam remotam his morbis eandem quidem esse ait: quamdiu autem non licitum sit, morborum formas secundum eorum causas remotas discernere, neque aliena conjungere, quod eadem ex causa orta sint, neque similia discriminare, quod eorum causae remotae non eadem sint: tamdiu myrmeciasin et ergotismum non eosdem morbos haberi posse.

### AETIOLOGIA.

1) **Causae praedisponentes.** Vix homines ad hunc morbum proni videntur esse, sed potius putandum est, corpus, quod causae occasionales, hunc morbum dignere valentes, aggressae sunt, istis causis primum fieri,

---

(1) Lorinser l. c. p. 27.

ut ab iis afficiatur. — Fortasse in adultis praedispositio ad hunc morbum major est, quam in infantibus, quippe qui, sicuti observatum est, multo rarius inficiantur. Attamen constat, istum morbum nulli aetati parcere (1).

2) **Causae occasioneles.** Harum prima est secale cornutum. Multi medici dubitarunt, num myrmeciasis secali cornuto oriri posset. Jam Taube hoc omnino concedere noluit; Vogel, Eschenbach et alii idem plane negarunt. Fuchs inficiatur, secali cornuto solo hunc morbum gigni. Plurimi autem medici secale cornutum venenum esse dicunt, itaque causam gravissimam myrmeciasis: sic Lang, Zimmermann, Baldinger, J. P. Frank, Orfila, Lorinser, Hecker multique alii.

Secale cornutum formatur metamorphosi morbosa complurium specierum graminearum, imprimis secalis. De proxima causa morbi secalis scriptores discrepant: Lenttin eum effici punctione insecti (scarabaei solstitialis L.) dixit, id quod etiam Schreber contendit: secundum Nees ab Esenbeck et Leveillé, quibus Baude-locque assentitur, parvus fungus (a Nees sphacelia segatum, a Decandolle Sclerotium clavus nominatus), qui ovario insidet, degenerationem illam efficit. Degagnes

(1) Dreyssig l. c. p. 15.

autem esse vitium primae formationis ait. Phoebo, explorationibus diligentissimis ope microscopii factis, haud verisimile est, causam secalis morbosam esse fungum, arbitratus potius, adesse morbum germinis.

Qui secalis morbus annis humidis nasci solet, tuncque plurimum in eo secali invenitur, quod in terra humida crescit. Etiam quum ver humidum aestas calidissima sequitur, exsistere solet morbus.

Grana morbosa aut colore coeruleo-nigro aut omnino nigra sunt, interne alba; nec valde dura, ita ut facile frangi possint. Leviora sunt iis secalis sani, et in aquae superficie natant, sanis fundum potentibus. Odor ingratus, etiam nauseosus, si grana sunt pulverata aut molita; gustus non alienatus; lingua aliquantulum corroditur. Granorum pulvis aut farina est coeruleo, violaceo colore; panis ex iis coctus nigro-coeruleus (1).

Secale cornutum saepe chemice exploratum est: veterum autem explorationes non ita magni sunt momenti. Recentiores explorationes debemus auctoribus Bonvoisin, Vauquelin, Pettenkofer, Winkler. Ita Bonvoisin observavit, secale cornutum aquae immixtum et aëri expositum sub 15—18° R. ingratissimo cum odore putrefactum esse. Alii contendunt, inesse secali cornuto

(1) Lorinser l. c. p. 3.

morphium phosphoricum et acidum hydrocyanicum, unde ejus vis venenata oriretur. Recentissimo autem tempore Wiggers in secali cornuto alcaloidum detexit, Ergotinum: esse pulverem rubeo-bruneum, nullo odore, gustu aromatico, acri, amaro, in spiritu vini, acido sulphurico solubilem, nec vero in aqua et aethere: grana novem Ergotini, quae respondent unciae uni et dimidiae secalis cornuti, gallum trucidarunt. Chevallier autem alcaloidum adesse negat.

Linné et alii causam myrmeciasis esse semina raphani raphanistae contendunt; unde morbus raphania vocabatur. Sed morbus, quem Linné descriptis, magis lolio temulento videtur effectus fuisse.

Alii medici lolium temulentum causam esse dixerunt: eo autem differt a secali cornuto, quod non sicut istud organa digestionis inficit, sed solummodo systema nervorum.

Nonnulli medici etiam affirmarunt, entozoa, quae aut evomuntur in morbo, aut in intestinis demortuorum inventiebantur, causam morbi esse; sed magis sequelae morbi, quam causae videntur esse.

Nonnulli medici, v. c. Selle, Marcard, Herrmann et Focken, contagium esse in hoc morbo censuerunt; tunc et contagium causa morbi esse posset. Scrinac

autem nunquam contagiosum fuisse morbum ait, simulque testantur exempla, infantes sine ullo damno mammas matris aegrotantis suxisse.

### **EXITUS MORBI.**

1) In sanationem, quod quidem raro fit; symptomata critica habebantur evacuationes vermium, exanthesma miliaria et petechialia, aut abscessus in corporis superficie, nonnunquam etiam salivatio. Si in infantibus tinea capitis oriebatur, morbus fiebat mitior. Semper autem post morbum restat stupor sensuum, cui raro mederi possumus; amnesia, fatuitas; etsi symptomata mala absunt, tamen aegroti nonnullas per hebdomades vertigine, susurro aurium et auditu gravi laborant.

2) In aliud morbum, veluti in amaurosin et, si diu perduraverat morbus, in epilepsiam, cui mederi non potes, in haemorrhagias, morbos pulmonum, hydropsiam et diarrhoeas diutinas.

3) In mortem, qui frequentissimus est exitus. Plerumque intereunt aegroti apoplexia; sed etiam morbis secundariis plurimi succumbunt.

## SECTIO (I).

Lentin in sectione hominis morbo isto demortuo haecce invenit: Corpus macie torridum, id quod maxime cernebatur in manibus. Digitorum apices erant curvati neque minus unguis.

In cavitate cranii: ossa cranii durae matri solide accreta; omnia vasa sanguine valde impleta, et plexus choroideus sanguine abundans: in ventriculis multum humoris cujusdam aquei; forma cerebri non mutata, septum autem pellucidum marcidum; idem in nervis olfactoriis. Medulla oblongata et nervi, qui linguam et faciem petunt, molles, ac si macerati essent. In cavitate abdominis: cavitate aperta odor valde putridus prodit, quamquam homo ex biduo tantum mortuus erat. In omento ne vestigia quidem adipis, sicut colore fusco, putridum. Vasa peritonaei turgebant sanguine nigro. Intestina tenuia tumida et vacua, neque in iis, neque in crassis vermis reperiebatur. Ventriculus continebat ichorem putridum, ejusque pars interna laevis. In vesica fellea bilis, ichori sanguineo simillima.

In cadavere pueri, quattuordecim annos nati, tem-

pore matutino defuncti, et post meridiem secti, haecce aderant: facies flava, tumida, oculi subsidentes; epidermis totius abdominis jam putrescere inceperat. Ex ore et naribus effluxit mucus foetidus; in dorso, thorace et collo sugillationes. Intestina colore flavido, hepar durum et sanguine turgidum. In ventriculo aqua spuma biliosa et ascaris examinis; splen fuscus et sanguine abundans; vesica urinaria et ipsi ureteres valde impleti urina aquosa, nullum odorem spargente. Cor et vasa majora vacua; pulmones sanguine turgebant, neque minus arteriae cerebri ejusque tunicarum. In altero quodam cadavere eadem cernebantur.

### PROGNOSIS.

Infausta, praecipue in specie acuta: mors vix averti potest, quae plurimum jam prima morbi hebdomade intrat. Minus infausta est species chronica, etsi etiam hic sanatio lente tantummodo procedit, et morbi secundarii sunt frequentes. In universum morbus viris et senibus praecipue periculosus esse dicitur, neque minus, ubi secunda vice adest. — Spasmi thoracis hic semper fere letales sunt. Symptomata vero infaustissima trismum et tetanum esse auctores dicunt.

## CURA.

**A. Prophylactica (1).** Politiae medicae interesse debet, ut ab hominibus haec noxa prohibeatur.

Itaque

1) studere debet, ut omnis paterfamilias sponte secale cornutum a sano secernat.

2) Commerciū habere secalis cornuti, sicuti molere omnino negandum est.

3) Tempore calamitatis frugum pauperibus secale sanum dandum est.

Secale cornutum segregatum ne animalibus quidem domesticis porrigendum est, sed mox aut comburi debet aut defodi.

Ubi prima morbi symptomata, ut nausea, oppressio praecordiorum animadvertuntur, statim emeticum administrandum est, quo haud raro eruptio morbi impeditur.

**B. Therapeutica.** Emetica et purgantia omnibus in epidemiis efficacissima fuerunt, praecipue autem emetica initio morbi (2). Tartarus stibiatus utrique in-

(1) Lorinser I. c. p. 124.

(2) Wagner in Hufeland's Journ. 1832 Juny. 1839.

dicationi respondet; nonnunquam autem adultos ex granis xx tart. stibiat. semel tantum vomuisse Wichmann narrat. Remissionis tempore alvus aperienda est salibus neutralibus, senna, rheo aut jalappa, nisi vires jam nimis debilitatae sunt. — Ubi suspicio vermium adest, uti in infantibus, anthelminthica porrigenda sunt. Calomelanos gr x—xxx porrexit Taube bono cum eventu; semina cinae minus utilia fuerunt.

Venaesectiones omnino nocebant, prohibebant enim sanationem et graves efficiebant morbos secundarios. Sanguis vena emissus atramento similis erat; ejus placenta solida. Hirudinibus dolores partium spasmis affectarum et symptomata cerebri affecti mitigabantur.

Nervina et antispasmodica eo citius adhibenda sunt, quo magis nervi sunt affecti, et quo magis decursus morbi chronicus est: valeriana, asa foetida, castoreum, liq. c. c. succinat., moschus, camphora, ol. anim. aeth.; neque minus laudantur flores zinci, magister. bismuthi et alia antepileptica. Opium adhiberi non potest ob molestias gastricas. Copland<sup>(1)</sup> laudat oleum terebinthinae.

Sin morbi character putridus aut colliquatus fit,

---

(1) The Lond. med. and. phys. Journ. 1821. Vol. XLV.

tunc china, acida mineralia, camphora et alia medicamina antiseptica adhibenda sunt. Pulvis ab Hensler propositus, e zingibere aut cal. aromat. cum asa foetida et valer. constans, optimum quidem praebuit effectum, sed aegroti eum assumere noluerunt.

Externe inunctiones linimt. ammoniat. aut camphor. (1) in columnam vertebralem, in abdomen et extremitates, balnea tepida, vesicantia efficacia erant. Taube commendat unguentum e vino adusto ac butyro aa et camphora paratum, quo partes spasmis correptae perungantur. Ad torporem relictum removendum Taube ol. terebinth. perungi jussit. Collegium reg. Dan. commendavit etiam electricitatem, balnea tepida et inunctiones ex oleo (2). China et alia tonica finiunt curam.

Momentum adhuc grave est diaeta, quae facillima ad concoquendum esse debet. Itaque prosunt panis albus, juscula e carne parata, caro alba, ova sorbilia, cerevisia bona, amara, et vinum purum roborans.

Paralyses relictae ut aliae paralyses topicae currantur.

(1) Beobachtungen und Abhandlungen aus dem Gebiete der ges. Heilkde. v. oestr. Aerzten. Wien, 1828. Bd. VI, S. 10.

(2) Berichte und Bedenken die Kriebelkrankheit betreffend etc. Kopenhagen 1772.

**V E T A**

**N**atus sum Sigismundus Bernhard, fidei veteri additus, die primo mensis Februarii anni MDCCCXIX Gutentagi, oppidulo Silesiae superioris, patre Mauritio, matre e gente Bender, quos Deus optimus maximus diu adhuc servare velit, quotidie precor. Litterarum elementa domi addidici. Anno XXXII h. s. Vratislaviam adii, ibique per annum integrum scholam Friderici Guilelmi frequentavi. Tum gymnasium adii Elisabethanum, quod sub auspiciis Reichii floret, cuius discipulum me per annos VI fuisse semper gloriabor. Anno XXXIX h. s., examine maturitatis superato, inter cives academicos almae Viadrinae ab Ill. Otto, apud quem tunc fasces academicci erant, receptus, apud Ill. Purkinje, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum, nomen dedi. Per tres annos et dimidium hisce interfui lectionibus; Ill. Barkow de ana-

tome comparata; Ill. Benedict de chirurgia et ophthalmatice; Ill. Betschler de gynaecologia; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice; Ill. Fischer de chemia experimentali; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de pathologia generali; Ill. Klose de politia medica; Ill. Otto de anatome corporis humani, de anatome pathologica, de osteologia, qui idem vir Ill. dux mibi fuit in theatro anatomico; Ill. Pohl de physice experimentali; Ill. Purkinje de physiologia; Ill. Remer sen. de therapia speciali et de medicina forensi; Cel. Remer jun. de syphilide; Ill. Rohowsky de psychologia; Exp. Sachs de therapia generali; Ill. Thilo de logice; Ill. Wendt de materia medica et de therapia speciali. In clinicis duces mihi fuerunt viri Ill. Benedict, Betschler et Remer.

Hieme vero anni 1842 Berolinum me contuli et ab Ill. de Raumer civibus academiae adscriptus, apud Ill. Mueller nomen dedi. Per hoc semestre interfui in nosocomio caritatis scholis Ill. Juengken et Cel. Wolff.

**Tentamine jam et philosophico et medico, nec non  
examine rigoroso superatis, spero me, dissertatione thesi-  
busque rite defensis, summos medicinae et chirurgiae ho-  
nores esse adepturum.**



## **T H E S E S.**

---

1. In delirio tremente venaesectio nocet.
  2. Partus violenti sola indicatio est placenta praevia.
  3. Duplex graviditas sine dubitatione nonnisi duplice pulsatione foetali dignosci potest.
  4. Acidi hydrocyanici primus effectus est in systema sanguinis, secundus in sistema nervorum.
-